

videri esse, quod non est, et ideo virtutes habenti^a magna virtus est contempnere gloriam. Contempnit etiam suspicantium temeritatem, quorum tamen, si vere bonus est, non contempnit salutem; quoniam tante iustitiae est, qui de spiritu Dei virtutes habet, ut etiam ipsos diligat inimicos. In laudatoribus autem suis quamvis parvi pendat quod eum laudant, non tamen parvi pendit quod amant, nec eos vult fallere laudantes, ne^b decipiat diligentes.

Cap. XX. Nomen¹ regis intellectualiter — poena habebit (= *Hincmar cap. 2*).

Cap. XXI. 'Per² me reges regnant, et tyranni per me tenent terram.' Sed ne tyranni non pessimi atque improbi reges, sed vetere nomine fortes dicti existimentur, unde ait Virgilius: 'Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni', apertissime de Deo alio loco dictum est, quia regnare fecit hominem hypochritam propter perversitatem populi. Quamobrem quamvis, ut potui, satis exposuerim, qua causa Deus unus verus et iustus Romanos secundum quandam formam terrenae civitatis bonos adiuverit ad tanti imperii gloriam consequendam, potest tamen et alia causa esse latentior propter diversa merita generis humani^c Deo magis nota, quam illud constet inter omnes veraciter pios neminem sine vera pietate, id est veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem; nec eam veram esse, quando glorie servit humane; eos tamen, qui cives non sint civitatis aeternae, quae in sacris litteris nostris dicitur civitas Dei, utiliores^d esse terrene civitati, quando habent virtutem vel ipsam, quam si nec ipsam.

Cap. XXII. Formam³, quam rex servare debet, breviter Dominus per Moysen in Deuteronomio designat. 'Non declinet', inquit, 'ad dexteram nec ad sinistram'.⁴ Qui si bene direxerit^e vias suas et studia sua coram eo, qui est rex regum, necessario^f pacatos regni sui fines possidebit. Unde et illic mox subditur: 'Ut longo regnet tempore super Israel.'⁵ Porro si preceptum custodierit, ut non declinet ad dexteram neque ad sinistram, foedus securitatis et pacis de victoria letus promerebitur. 'Si exieris',

^a) habet *HS.* ^b) nec *HS.* ^c) humano *HS.* ^d) *korr. aus* utiliores *HS.* ^e) dixerit *HS.* ^f) necessarios *HS.*

¹) *Pseudo-Cyprian, De duod. abus. saec. cap. 9, CSEL. 3, 166 Z. 6 bis 167 Z. 25. Vgl. auch Jonas, De instit. reg. cap. 3, Migne 106, 288 f.*

²) *De civ. Dei V 19, CSEL. 1, 253 Z. 9--27.*

³) *Über diesen Text vgl. oben S. 118.*

⁴) *Deut. 17, 20.*

⁵) *Ebenda.*